...os acerrimos inventum hunc thesaurum nunciari curavit. Atq; sic quoniam Antiquitatem cùm omnes gentes & nationes, quibus rectè cor salit, tum vel magni viri plerique maximi semper fecerunt: Ego equidem haud ineptè me facturum puto: si ex Antiquitate aliquid laude dignum protulero: antequàm VALE meum, VALE illud triste, Ludo huic Literario dicam. Tantum autem abest: ut vilia & inania, vana illa & insana, quæ nonnulli pro antiquis rebus jactitant, prædicaturus sim: ut potiùs aliqua, quæ splendore suô ac magnificentiâ in omnium sese insinuant oculos, sub styli incudem jam sim revocaturus. Ritus nimirum præcipuos, qui in Funeribus Romanorum olim observari solebant, impræsentiarum sub alicujus Orationis schemate ex hoc loco ut ad dicendum ornatissimô, ita ad docendum aptissimô strictim ac breviter percurrere constitui. Dum verò ad telam hanc pertexendam me accingo: peramanter Vos, Auditores Venerandi, rogo, oro, obsecro, obtestor: ut benevolis animis mihi dicturo adesse, lenissimóq; favoris Zephyrô cymbam hanc meam in altum promovere haud dedignemini. Insuper & oro, rogo, obsecro, obtestor: ut, si me sublimia humiliter, ampla tenuiter, illustria minùs ornatè tractantem, si vel ex innumerabilibus, quæ ad dicendum suppetunt, plurima me prætermittentè, pauca proponentem potiùs, quàm exponentem audiveritis, ipsi cogitetis, neq; posse quemquam in tam ubere materiâ omnia persequi, neq; ea, quæ satis per se splendida & magnifica sunt, ullâ eloquii copiâ aut verborum mangoniô augere. Quid? quòd & cogitare Vos velim, mihi eam inprimis cautionem adhibendam esse: ne ultra consuetum tempus in audiendô Vos detineam.

Ut ergò è stadiô hoc mea sese efferat Oratio, ecce Ego equidem ante omnia, quæ apud Romanos, Gentium illos Dominos, Funerationem antecesserunt, ritus persequar. Ecquis verò vestrûm in Antiquitatum Romanarum Scriptoribus tam peregrinus est: ut ignoret, amicos & sanguine junctos, quotquot aderant, cum jam omnis vitæ spes in ægro decollasse, animaq; è corporis hospitio jamjam emigratura in ipsius extremis quasi lingua hærere videretur, morientem osculari, corpusq; ejus amplecti, donec exhalaret animam, solitos fuisse? Frequentissima moris hujus apud probæ notæ Auctores fit mentio. Sic namq; Seneca, Romanæ porticus Zeno, Librô de Brevitate Vitæ appositè scribit, Tiberium Cæsarem, patruum suum, Drusum intima Germaniæ recludentem, & gentes ferocissimas Romano Imperio subjicientem, in complexu & osculis suis amisisse. Minimè ab hoc Ausonius abludit, sic canens:

Illa manûs inter genitricis & oscula patris
Occidit, Hispanâ tum regione procul.

Causam antiquissimi ritus hujus scire, V. A. desideratis? Desideratis nosse: quâ causâ Romani morituros exosculati fuerint? Putabant Antiqui, animam è corpore